



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Spes & Fiducia, Cuius Iudicisqve Dei, Erga Homines In Hac
Vita Existentes, Firmata**

Stengel, Georg

[S.l.], 1645

§. 1. Beatiſſimam Dei Matrem, Angelus apud Iosephum defendit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49823](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49823)

acceptare. Nam *qui pro nobis tradidit Filium suum*, quo modo non etiam, cum illo, omnia nobis donavit? Dixit olim iratus: *Non permanebit Spiritus meus in homine in aeternum, quia caro est.* At passione Filij placandus dixit: *Effundam Spiritum meum super omnem carnem.* Si locutus fuisset de sola carne Christi, quæ est diuinæ personæ vnita, nihil esset mirabile: sed nunc ait: *Effundam Spiritum meum super omnem carnem*, Spiritum adeò preciosum, in tam vilia vasa iræ: hæc bonitas exuperat omnem sensum.

Rom. 8.

32.

Gen. 6. 3.

Joel. 2. 28

C A P V T III.

Alijs novi Testamenti exemplis, ante oculos ponitur, mirabile iudicium Dei, quo ipse succurrit, quando alius nemo succurrit.

§. I.

Beatissimam Dei Matrem Angelus, apud Iosephum defendit.

EX supra explicata immensa Numinis misericordia & bonitate, satis potest superque intelligi, quasi morem Dei esse, vt, deficientibus vndique humanis auxilijs, auxilia faciat ipse diuina. Quod Christus, totâ vitâ suâ, demonstra-
uit.

Matth. 1.
19.S. Augu-
stin. epist.
95.S. Chry-
lost. ho-
mil. de S.
Susanna.
S. Aug.
ep. 64.Psal. 119.
1.
Psal. 17.
21.

uit. Deipara à Iosepho, præter expectationem, *inuenta est habens in utero*: id à se non esse sciebat Iosephus, *de Spiritu sancto esse*, nesciebat. Iamque, *cum esset iustus, & nollet eam traducere*, seu accusare, & publico exemplo puniendâ offerre, cœpit aliam dimittendi rationem longè honorabiliorem cogitare, ob magnam, qua præditus erat, charitatem. Gemini hîc scopuli: videbatur & Ioseph, & MARIA inter sacrum & saxum hærerè. Nam siue, vt S. Chrysostomus, & S. Augustinus putant, Iosephus ideò Mariam dimittere voluit, quòd adulteram suspicaretur; siue dubitauit duntaxat, vnde, aut quo modo, concepisset: in magna anxietate, & inter fluctus extitit. Quis autem tunc Virgini animus, quis sensus fuit, cum & humilitatis amor eam non fineret mysterij tanti gloriam patefacere, & tamen amor honestatis, non sine cura innocentiam pateretur esse suspectam. Sed nimirum, quia homines defuerunt, qui causam eius perorarent, vsa est eiusmodi verbis: *Ad Dominum, cum tribularer, clamavi, & exaudivit me. Item: Et factus est protector meus. Adeste omnes anxij, adeste, quotquot in ambiguo iactamini, adeste quoscunque alij si-*

nostris suspicionibus flagellant, & perpendite, quis innocentium, in dubijs casibus, sit adiutor. Hæc, eo cogitante, ait Euangelista, *Eccè Angelus Domini apparuit in somnis ei, dicens: Ioseph fili David, noli timere accipere Mariam coniugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Videtis auxilium de cælo? Si homines defunt, Angeli veniunt, & vno sermone utriusque succuritur: Sic extincta est suspicio, & defensa Virgo.

§. II.

Magi, peculiari divina cura, ad præsepe ducti.

Magi ex prophetia Balaam dicentis: *Orietur stella ex Iacob*, cognouerant, Christo nascente, stellam orituram, vt Origenes, Epiphanius, & Basilius scribunt; aut certè, siue inspiratione interna, vt vult S. Leo; siue per Angelos bonos, vt existimat D. Augustinus; siue etiam per dæmones, vt vult D. Hieronymus; vel inuitis vocibus, vt aliquando coram Iudæis, confiteri coactos, natum esse regem Iudæorum, eumque noua hac stella significari, didicerant. Nec contenti didicisse, volebant etiam cum muneribus venire ad eum adorandum. Sed nesciebant, *vbi esset, qui natus erat rex Iudæorum.*

Id

Matth. 1.
20.

Num. 24.
17. Orig.
hom. 13.
in Num.
Epiph. in
epitome.
Basilius
homil. de
humana.
Christi
gener.
Leo serm.
1. de E-
piph. Hie-
ron. in 19
Isa.